



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 66. Nicolaus Pavillonius Alecensis Episcopus vita functus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

„ficiis, eamque ad amissum divini sui æc. XVII.
 „cordis ac voluntatis Regem efficiat. „ A. C. 1677.

§. LXVI.

*Nicolaus Pavillonius Aleſſenſis Epi-
 ſcopus vita fundus.*

His Episcopi literis Ludovicus Rex ad La Croix du
 miserationem permotus, quorum- Maim. Bibl.
 dam adulatorum, qui Episcopum ad Franc.
 revocandum suum mandatum exilio, San. Marth.
 ac temporalium bonorum jactura adigi Gall. Christ.
 suaserunt, consiliis nullo pacto ac-
 quiescere voluit, potius Telleri, ejus-
 que Filii Rhemensis Archiepiscopi mo-
 nita secutus, qui Regi Authores erant,
 ut senio ac virtutibus venerando huic
 Antistiti vitæ suæ finem in tranquilla
 pace indulgere velit. Enimvero hic
 die octava Decembris anno ætatis
 suæ octogesimo pie in Domino obiit:
 Præsul erat morum probitate, vigilan-
 tia, prudentia, religionis zelo, doctri-
 na, rerum usu & experientia longe præ-
 stantissimus, tamque sinceræ, puræque
 mentis, ut Clero suo disciplinæ, &
 gregi virtutis simulacrum esset, incer-
 tumque relinqueret, an eruditione,
 vel sanctitate emineret: Præter pluri-
 mos, quos suo exemplo, ac sermoni-
 bus Divina sancti Spiritus unctione
 plenis e vitiorum cæno ad sanctioris
 vitæ

Sæc. XVII. vitæ semitam reduxerat, præcipuus
A. C. 1677. erat Princeps Contius, qui ab eodem
 Episcopo ad Christiani hominis officium
 feliciter redigebatur. Immerito au-
 tem Pavillonius Jansenismi a quibus-
 dam postulabatur; semper enim dam-
 natas Jansenii propositiones ex animo
 detestatus est, quod autem quæstioni
 facti subscribere tergiversatus fuerit, id
 firmæ æquitatis persuasione, non de-
 pravatæ voluntati, aut cognitum er-
 rorem defendendi studio tribuendum,
 quod ex ipsa ejus integritate elucet;
 cum enim Bellovacensis & Andega-
 venis Episcopi suis mandatis, in quibus
 circa quæstionem facti duntaxat
 silentium obsequiosum spondebant, epis-
 tolam, in qua plenam & sinceram sub-
 missionem sine limitatione polliciti sunt,
 Pontifici submittendam exhiberent,
 Alecensis huic epistolæ subscribere re-
 nuit, asserens, in hac quoque epistola
 summo Pontifici disertis verbis esse de-
 claranda, quæ in mandatiseorum conti-
 nentur, non enim agebat Pontifici reticen-
 dum, quod in nostra doctrina in man-
 datis expressa firmi persistamus: nec
 etiam, ut his literis suum chirographum
 apponeret, ullo pacto adduci potuisset,
 nisi Senonensis Archiepiscopus die vi-
 gesima octava Augusti Anno 1668. ei-
 dem fidem fecisset, quod *hic idem* *pacem*

conciliandi modus a Papa, Rege, Ponti-
 ficis Nuntio, Aulæ Ministris, ceterisque
 Episcopis fuisse approbatus, ut hac ratione
 Romanæ Curiae cavillis satisfaceret, quin ta-
 men veritas ac Christiana sinceritas lædere-
 tur. Scripsit Pavillonius egregium tra-
 ctatum de fide humana.

§. LXVII.

*Bernardi Gustavi Marchionis Durla-
 censis Cardinalis obitus.*

Inter Purpuratos hunc annum emor-
 tualem habuit Gustavus Adolphus
 Marchio Durlacensis Caroli Friderici
 Ducis & Eleonoræ Solmensis Comitissæ Filius. Hic anno Christi millesimo
 sexcentesimo trigesimo primo die deci-
 ma quarta Decembris natus, Lutheri
 sectam paternæ educationis vitio im-
 biberat: Adolescens literis probe
 excultus varias peragrabat regiones,
 ac demum militiam profanam profes-
 sus, primo sub Venetorum signis contra
 Turcas, & postea Suecici Regis stipen-
 dia merens, in Polonos motis expedi-
 tionibus bellicis interfuit, ac demum
 Morunganæ arcis Borussiae Gubernator
 aliquamdiu præfuit: Dudum haud te-
 nuis de sectæ suæ veritate scrupulus
 ejus animum cruciabat, tandem ex
 crebra sacri Codicis, ac sanctorum Pa-
 trum

*Imhoff Not.
 Princ. l. 4.
 c. 8. §. 33.*